COLLEGÆ AMANTISSIMO
CIVI OPTIMO
MEDICO EXPERTISSIMO
B. N. BERTRAND,
DOCTORE MEDICO PARISIENSI,

S. D. A. Petit.

COLLEGA CLARISSIME,

Animi tui candor, fortitudo & conſtantia, ingenii dotes eximiæ, atque virtutes, quas colis, omnigenæ me tibi, jam à longo tempore, ſuaviſſimâ devinxerunt neceſſitudine, cujus ut publicum extaret monumentum hanc qualemcumque Theſim nomini tuo ſacram volui.

Dabam Lutetiæ Pariſiorum die 26ª menſis Martii A. R. S. H. 1772.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS; manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ſecundâ menſis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. ANTONIO PETIT, in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Profeſſore, Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis & Stokolmienſis Socio, & Militarium Regni Noſocomiorum Inſpectore, Theſeos Autore, Doctore Medico, Præſide.

An plumbeâ lamellâ ſub cutim novâ arte inſinuatâ rectius, tutiuſque quam alio quovis artificio contineantur in ſede partes, quæ prolapſu ſuo hernias facere ſolent?

I.


ABET ſuum una quæquæ morbi ſpecies incommodi genus, ſpecialemque affert calamitatem: herniæ autem cuncta fermè collecta tenent infortunia. Etenim graves illæ non ſolum ſuſcitant aliquando dolores, ſed etiam ægritudinem conſtituunt chronicam, habitualem, tædii ærumnarumque adeò plenam, ut qui experiuntur illam triſtes brevi evadant, ac moroſi. Mares ſæpiùs, atque juvenes, laxioribuſque fibris donatos adoriuntur herniæ, nulli tamen

parcunt ætati, temperamento, ſexui, regioni, & miſeros, quos torquent, ægros in proximum vitæ diſcrimen nonnunquam adducunt. Circa partes, quas velare pudor amat, ſedem vulgò ponunt, ibique immanes aliquando procreant tumores: nativam abdominis formam lædunt ſemper; vires ſæpè ſæpiùs frangunt, nec aſſuetis corpus exerceri laboribus patiuntur: tandem hiſce malis aliquid turpe ineſſe plerique perſuaſum habent.

Hernia, ſive *ramex* vocatur tumor circumſcriptus ad infimi ventris ſuperficiem natus, qui pendet à dimotione & prolapſu quarumdam partium internarum: verùm partes inter, quas abdomen continet, etſi nulla ferè ſit quæ ſedem linquere & extra cavitatem pelli non poſſit, illæ tamen quæ majori donantur mobilitate, ut inteſtina & omentum, herniis locum dant frequentius, ſive prorumpant ad extra per umbilicum, vel per illam abdominalium muſculorum aperturam, quam *annulum* vocant, vel aliâ quâcumque viâ. Multiplicem eſſe herniarum ſpeciem nemo non novit: diſcrepant enim inter ſe vel ratione loci, quem occupant, vel prolapſarum partium naturâ, ſtructurâ, connexione, & uſu. Differunt etiam tumoris amplitudine, formâ, conſiſtentiâ, diuturnitate, modo quo tumor natales duxit, atque præſertim accidentibus quæ herniis ſupervenire non ità raro obſervantur. Quæ ſpectant ad herniarum cauſas, ſymptomata, diagnoſim, & prognoſim miſſa impræſentiarum facimus ex propoſito, utpotè quæ legi & ediſci queant apud omnes rerum medicarum ſcriptores: de earumdem curatione tantummodo diſſerere eſt nobis animus. Porrò in illâ inſtituendâ duplicem ſibi proponunt ſcopum practici.... primò prolapſas partes, eâ quâ convenit arte priſtinam reſtituunt in ſedem, quo facto, de *continendis*, ut aiunt, viſceribus ſolliciti ſunt, ſive, quod idem eſt, omni ope atque operâ illas à novâ dimotione deffendere ſatagunt, atque in hunc finem diverſis utuntur mediis, quorum præcipua ſunt corporis ſitus, medicamentorum uſus tum internus, tum externus, ligatura, ſectio, uſtio atque ſubligaculorum omne genus; ut autem certum de re propoſitâ ferre valeamus judicium, neceſſarium utique nobis videtur de commodo & incommodo unius cujuſvis medii pauca hìc loci præmittere.

II.

MEDICAMENTA ad herniarum curationem uſurpata, ad hunc collimant ſcopum ſingula, ut fibris aperturam ambientibus illud concilietur robur, quo prementibus reſiſtere valeant viſceribus, atque eorum exitum prohibere: illa autem de' tonicorum, necnon adſtringentium familiâ depromi ſolent, & quæ majori commendantur efficaciâ ſunt ſpiritus ſalis marini cum vino mixtus, herniariæ ſuccus vel decoctum, emplaſtrum contrà rupturam & alia hujuſce modi; verùm experimentis compertum habemus hæc medicamina junioribus adminiſtrata felicem non numquam ſortita fuiſſe effectum, atque eorum ope nonnullas ſanatas vidimus hernias, at, dicam quod res eſt, rariſſimæ ſe ſe nobis obſervantibus obtulêre hujuſmodi ſanationes, quæ in adultis rarius multò deprehenduntur; & proinde non parum à vero

declinaret ille, qui petendam ſperandam ve ut plurimum ab aſtringentibus ramicis integram curationem ſibi fingeret.

In ſimplicioribus herniis ſolent deciduæ partes priſtinam ſponte repetere ſedem atque ad interiora revocari, quandò reſupinus jacet æger, ſive id fiat niſu partium internarum quæ prolapſas & ſibi continuas trahunt ad ſe, ſive res accidat vî externarum, quæ contentas in herniali tumore premunt; ſed ſimul atque ſurgit ægrotus, ambulat, aut aliquam conatur actionem edere, rursùs prorumpunt illæ & malum renaſcitur. Optima proinde ad reductionem dimotarum partium via eſt laudatus corporis ſitus: ſed illum diu noctuque aſſiduè ſervare, ſicque integram ducere vitam, arduum planè, rectius dicam, impoſſibile videtur; inde concludere fas eſt illum vix annumerari debere inter media quæ recidivam præcavere queunt.

Quod ſitu corporis obtinere non poſſunt, illud certis quibuſdam in caſibus ligaturâ comparare tentaverunt Chirurgi. Filo ſcilicet aureo, aut alio quovis, vaſorum ſpermaticorum funiculum unà cum Ramicis ſacco, juxtà muſculorum annularem aperturam comprehendunt; filum deinde nodo conſtringunt ità ut claudatur oſtium, ibique ponatur obex cujus deinceps reſiſtentia ſuperari nequeat niſu viſcerum in infimo ventre contentorum, & tamen liber remaneat ſanguinis ad teſtes aditus. *Punctum aureum* hanc ligaturæ ſpeciem vocaverunt. At illa multum mali, nilque ſecum afferre ſolet emolumenti; etenim ſi laxior ſit ligatura non obſtat partium dimotioni atque recrudeſcit morbus, ſitque periculoſior. Si ſufficienter conſtringatur filum, tunc temporis ſanguini præcluditur ad teſticulos via, unde brevi ceſſat eorum actio, imo vita in illis ſufflaminatur, & idcirco damnandam & prorſus ablegandam methodum iſtam uno ore pronuntiarunt Medicorum filii.

Sceleſti viſi fuere, & proh pudor! Videntur adhuc dum circulatores, qui ad ſanandas hernias in infantibus teſtes arte nefandâ reſecare non dubitant. Verùm argumentis confutandi non ſunt hujuſce farinæ nebulones, ſed politicis veniunt tantùm coercendi legibus, debitiſque pœnis afficiendi. Etenim ad procreandos liberos fiunt impares, qui hanc operationem ſuſtinuere: itaque pro generis humani hoſtibus habendi ſunt qui talia patrare audent.

Sunt qui cauſticis curationem herniarum aggrediuntur, contenduntque morbum tutius hiſce remediis quam aliâ quâvis methodo perſanari. Cum enim conſtet obſervatis molles corporis noſtri partes inflammatione tentatas mutuò coaleſcere poſſe, & poſt ſedatam inflammationem firmiores remanere, indè factum fuit ut de concitandâ inflammatione in abdominalis aperturæ laxiori margine cogitaverint, quâ ſcilicet glutinari, invicemque poſſent coaleſcere oſtii ora atque deſideratam comparare firmitudinem. Idcircò cauſticum lapidem, aut aliud ejuſdem efficaciæ medicamen applicant, cujus vi corroſivâ cutis non ſolum & ſubjecta cellularis tela, ſed & ipſemet

herniæ ſaccus conſumuntur. Poſt aliquid temporis ſeparantur à vivis partes quæ cauſtici actionem expertæ fuere, atque, ut aiunt, eſchara decidit, in ſuppuratum vulnus abit, & ſenſim inter ſe uniuntur ſoluti ſacci hernialis labia, hærent ad circumferentiam abdominalis aperturæ, unâ eâdemque junguntur cicatrice, quæ vices ſcuti gerens ſuſtinet irruentium partium impetum, ac deſcenſum prohibet illarum. Ingenioſa quidem methodus iſta, ſed illam multiplici vitio premi non negandum. Acutos enim diuturnoſque dolores cauſticum excitat, & quamvis induſtriâ tractetur manu nequit ejus actio ita coerceri, & tam præciſè circumſcribi, quin aliquando ſentiatur à partibus quas lædere piaculum foret, & inde narrant graviſſima manaſſe nonnunquàm accidentia: volunt & etiam hanc agendi rationem minimè tutò ſanare, atque non ſemel accidiſſe ut, qui pulſus credebatur, hoſtis ex improviſo ingrueret, novas & periculi plenas ederet ſtrages. Abſit autem ut exinde penitus ablegandam eſſe concludamus, ſed antequam prudentioribus illam liceat in uſum vocare, expectandum utique nobis videtur donec favente peritorum induſtriâ perfectior evadat atque in dies comprobetur.

III.

SEXCENTA inter ſalutis media quæ ſagax in commune bonum contulit neotericorum ſolertia, non infimam profectò ſedem tenent ſubligacula, cingula, aut Bracheria quæ Gallis *Brayers*, *Bandages*. Multiplicis autem illa generis eſſe nemo eſt qui non noſcat. Tribus unum quodque conſtat partibus, globo ſcilicet, qui & caput & ſcutum audit, quo Muſculorum ita clauditur hiatus, ut ab interioribus ad exteriora nullus pateat aditus; modicâ donari debet conſiſtentiâ ne duritie nimiâ partes lædat quas comprimit, aut propter majorem mollitiem cedat partibus internis atque earum permittat è ventris cavo effluxum. Corpus ſubligaculi pars eſt media, ægri quæ corpus ambit & diverſimodè conficitur: vel enim linamentis conſtat, vel corio, vel ebore, vel ferro, &c. prioris generis, ea nempè quæ corpus habent ex linamentis comparatum, ad continendas infantum hernias ſolent uſurpari; ſed ſæpiſſimè cum malis ægrotantium rebus. Quando quidem linamentorum brevi laxatur compages, quo fit ut levior, quam par eſt, fiat ad ventrem compreſſio, indè minimâ de causâ foras pelluntur inteſtina, ſub globo cinguli ſe ſe inſinuant, illo premuntur, & vexantur adeo ut dira hinc enaſcantur tormina, quæ in causâ ſunt cur ſanitas & ipſamet nonnunquàm infantis vita in præceps ruant. Quibus moti rationum momentis primam hanc ſubligaculorum ſpeciem rejiciendam eſſe cenſemus. Idem fermè dicendum de iſtis cingulis quæ corpus corio paratum gerunt. A longo jam tempore prorsus obſolevit ſubligaculorum ex ebore confectorum uſus. Illa nempe frequentius faciliuſque rumpuntur, corporis circumferentiæ aptantur difficilius, atque imperfectè herniale oſtium ſæpe ſæpius claudunt. Cæteris ergò omnibus præſtant ferro fabrefacta, imprimis ſi idoneâ donentur elaſticitate; in eo ſpecialiter alia ſuperant, quod, dum flectitur corpus, aut certis quibuſdam

in circumstantiis situm mutat, cæterorum cingulorum actio cesset, constanter autem tunc temporis perseveret & exerceatur illa quæ elasticis propria est cingulis.

Plurima dubio procul & quidem maximi momenti commoda his potissimum posterioribus instrumentis debentur; sed casus non desunt in quibus locum obtineri nequeunt, quia etiamsi sint & scitè fabrefacta & appositè collocata indicationi tamen satis facere non possunt, id est prolapsum interaneorum non prohibent; sive istud accidat propter nimiam corporis obesitatem, grandiorem ve ventris hiatum, aut flaccidiorem atque humidiorem partium texturam, sive res ab aliâ pendeat causâ, cujus indagationi vacare non sinit instituti nostri ratio; nobis impræsentiarum sufficiat animadvertisse, longè satius esse memoratis in casibus à cingulis abstinere, quam illa vocare in usum: nam visa sunt non semel intestina sub cinguli globum foras prodeuntia, quæ illius pressione inflammationem concepere, & indè gravissima, imò lethalia orta fuisse symptomata constat, & quæ machina salutis instrumentum esse debuisset, in perniciem ægri versa, mortis facta fuit causa.

I V.

EX illis, quæ in medium huc usque adduximus, argumentis liquet nullum ætate nostrâ propositum fuisse artificium, quod ab omni vitii labe prorsus immune dici possit. Novam idcirco methodum excogitavimus, quam cæteris existimamus præsentiorem, quamque propter ea publici juris facere operæ pretium duximus. Num autem nostra nos fefellerit opinio, atque in errorem induxerit summum, quod colimus, communis utilitatis studium, iis dijudicandum relinquimus quibus de Medicis ac Chirurgicis rebus est jus & mos pronuntiandi. Si scopum, ex illorum sententiâ, tangere datum fuit, gaudebimus, non gloriabimur: sin minus, dolebimus, non erubescemus; errare enim humanum est, & soli debent illi erubescere quorum mens male sana nil cogitat aut meditatur nisi quod nocere bonis arbitrantur.

Sic autem nova se habet methodus nostra. Resupinus in dorso primùm collocari debet æger, elevatis nonnihil femoribus, hocque in situ appositis contineri ministris. In ventrem deinde solerter reducendæ veniunt partes prolapsæ; quo facto, suprà hernialem aperturam scalpello vulgatiori cutis plus minus ve incidenda est, prout minor aut amplior subjecta deprehenditur apertura atque majori vel minori obesitate corpus onustum observatur. Sectâ cute, ità ad aperturæ ambitum textum cellulare inciditur ut nuda in conspectum veniat apertura. Si, ut fieri solet, saccus adsit hernialis, & aliquâ crassitudine donetur, illico aperiendus est secundum longitudinem suam; verùm si tenui constet pelliculâ, integer absque incommodo remanere potest. His omnibus peractis sub cutim & telam adiposam, immediatè suprà ostium herniale vi quâdam adigitur lamella plumbea, ibi per reliquum vitæ spatium remansura; sufficit autem ut illa lineæ circiter crassitudinem gerat. Quod verò ad illius amplitudinem formamque spectat, utraque

varia debet esse. Amplior etenim sit lamella necesse est, quando abdominalis apertura major & vice versâ. Antequam opus aggrediatur Chirurgus, facili de negotio convenientem poterit determinare propositæ lamellæ magnitudinem: satis utique erit si hujus circumferentia unius transversi digiti latitudine ostii ambitum excedat. Forma autem ad rotundam accedat, si ramex sit in umbilico; si in inguine, ovalis erit, & in uno extremo truncata, id est cordis figuram habebit, & ita collocabit eam Chirurgus, ut scissurâ, quam gerit in extremitate, comprehendatur vasorum spermaticorum funiculus. Post dispositam in loco lamellam, adducenda sunt vulneris ora, atque filo, aut alio quovis modo ita continenda, ut brevi temporis intervallo glutinari, atque legitimâ cicatrice uniri valeant. Necessarium est præterea ut in decliviore vulneris parte mollis insinuetur turundula; eâ scilicet mente, ut, si quid stillat suppurati humoris, ipsi via paretur; nec debet illa extrahi & supprimi nisi post perfectam vulneris consolidationem. Denique, ut solet fieri similibus in casibus, tractabitur vulnus, id est balsamicis primùm, digestivis deinde utendum est: dantur insuper, ut moris est, spleniola quæ congruâ deligatione continentur. Per totum curationis tempus oportet ut æger lectum teneat, moderato utatur victu, motibus parcat, atque, absolutâ curatione, per menses aliquot à laboribus, violentisque exercitiis abstineat.

V.

OPTIMUM illud vocatur remedium qnod *tutò citòque* sanat ac *jucundè*. Porrò nostram methodum hæc præstare singula arduum nobis non erit demonstrare, ac primò quidem sanat tutò; nam quæ inter operandum secantur partes, cutis scilicet, cellularis tela, atque ramicis saccus, incidi possunt absque periculo, & reipsâ grandiores fiunt quotidiè continui solutiones, à quibus nullum exsurgit simptoma grave; cur igitur nostro in casu ventura pertimesceres accidentia, cum & ampla non sit tegumentorum sectio, atque chirurgi peritâ manu celebretur?.... Aliundè simul atque cicatrice unita semel fuere vulneris ora, musculorum aperturæ lamella exquisitiùs aptatur, hancque claudit ita ut nullus deinceps intestinis aut omento concedatur exitus; illa licet maximâ vi pellantur, firmiter resistit lamella, impetum frangit, & faciliùs in aliâ ventris regione disruptio fieret, quam in illâ quæ nostra fuit arte munita; adde quod eadem lamella consimilem operetur effectum, sive corpus inclinetur, vel genua flectantur, aut alium quemcumque situm truncus teneat. Verùm quæ tam confidenter hic loci asseverare non dubitamus, illa nos docuit suprema rerum medicarum magistra, nempè experientia, & ideò cum nullus occurrat recidivæ metus, atque ab operatione nil expectandum mali, inde licet colligere nostram tutò, meliùs dicam, tutissimè artem sanare; quod autem præstat tutò illud idem citò perficit. Brevissimo namque temporis intervallo operatio peragitur, brevì cicatrix inducitur, brevì tandem integræ sanitati restituitur æger;

nec longa cingulorum tædia habet ſuſtinenda, nec vexatur diuturnitate moleſtiarum, quas creare ſolent antequam illorum uſui aſſuefactus fuerit : quibus patet, ni fallor, laudatam methodum citò non minus quam tutò ſcopum attingere. Prætereà curatione abſolutâ nil amplius remanet incommodi. nullum doloris ſenſum ſuſcitat lamella, & de illius exiſtentia ſolum-modò monetur ac cogitat qui hanc gerit, cum ſe à morbo liberatum ſentit ; non ampliùs illi neceſſe eſt manè corpus cingere machinâ, non ampliùs illam habet ſerò à corpore ſeparandam ; non illi pertimeſcendum deinceps nè rumpatur in viâ, nè dimoveatur à ſede, nè inteſtinorum permittat effluxum, nè lædat effuſa, &c. eſt ne igitur in rerum naturâ res jucunda magis quam illa quæ dolores fugat, curas tollit, ac periculi metum omnem arcet ? Jucundè ergò malum noſtrâ pellitur arte. Objiciet nobis forſitan aliquis à lamellâ ſub cutim introductâ, tamquam à corpore extraneo in plagâ deliteſcente, nonnulla exoriri poſſe mala. Noſtrum objectioni reſponſum paucis accipe. Conſtat ex cadaverum ſectionibus glandes plumbeas per longiſſimum vitæ ſpatium intra corporis cavitates, quin & ipſas inter carnes, abſque ullo incommodo remanſiſſe ; ſed pluris facienda eſt hic loci experientia ; illâ autem comprobatum habemus rem feliciter tentatam, proſperoque ſucceſſu donatam fuiſſe. His itaque rationum momentis adducti concludemus :

Ergo plumbeâ lamellâ, ſub cutim novâ arte introductâ, rectiùs & tutiùs, quàm ab alio quovis artificio continentur in ſede partes, quæ prolapſu ſuo hernias facere ſolent.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Staniſlaus MITTIÉ, *Regiæ Scientiarum & Litterarum Nancei Academiæ Socius, necnon Staniſlai I. Poloniarum Regis, dum viveret, Medicus ordinarius.*	*M. Joannes-Baptiſta-Alexander* MAIGRET.	*M. Ludovicus* PATHIOT.
M. Carolus-Ludov.-Franciſcus ANDRY, *Chirurgiæ Gallico Idiomate Profeſſor deſignatus.*	*M. Joſephus* PHILIP, *Scholarum Profeſſor.*	*M. Franciſcus* BIDAULT, *Scholarum Profeſſor deſignatus.*
M. Matthæus-Thomas LA CASSAIGNE, *Scholarum Profeſſor deſignatus.*	*M. Joannes* D'ARCET.	*M. Joannes-Claudius* MUNIER, *Conſiliarius Medicus Regis ordinarius & Domûs Regiæ Invalidorum.*

Proponebat Pariſiis CAROLUS LUDOVICUS VARNIER, Pariſinus, Monſpelienſis Ludovicei Doctor M[illegible] necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus [illegible] .H 1772. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis [illegible] Saluberrimæ Facultatis Typographi. 1772.